



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 9. De Multaiuâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

sunt, & quicumque ex iis in pugna fugit multatur seuerissimè. Habentur vulgò perfidi, & ad res novas propensi, iugum ferre nescij, quod nec pati possunt, nec excutere. Versiculus quoque ab hæreticis in Monachos detortus eos arguit esse vino deditos. Mulieres hîc supra modum coluntur à viris, & primæ mensis assident. Ritum Græcum sequuntur, & Patriarcham Constantinopolitanum, cùm venit eis bene precaturus, magno cum honore recipiunt.

NVM. 4. *Politia.*

OLIM parebat Hungaro, quod tamen aliqui Poloni negant, aiuntque in suo thesauro asseruari instrumenta quibus probent totum hunc tractum iuris esse Polonici. Olim hic Princeps dicebatur *Ban*, cui *Vaiuoda* subditus erat, sed excusso iugo Hungariæ, Princeps prætulit *Vaiuodæ* nomen, quod summum Ducem significat. Nunc Turcam agnoscit, & ei pensitat 120. mille libras Francicas. Eligebatur olim à populis, & confirmabatur ab Ottomano, nunc quem maximè optat eligit, & præficit. Ex annuis vestigalibus conficit 250. millia Sultanorum *de sequins*. Olim educebat 50. equitum millia, nam omnes equites, pedites nulli; in præsentia vix 10. millia conscribere potest.

§. 9. *De Multauiâ, vulgò Moldauiæ.*

NVM. 1. *Nomen.*

NOMEN accepit à Multauiâ Fl. vnde vox Moldauiæ detorta est. Nominatur aliter *Valachia Cisalpina*, scilicet ab excursionemontis *Hæmi*, qui hîc interruptus Istro, ac denuò quasi resurgens Carpatho monti committitur. Dicitur & *Valachia*, seu *Bogdania Nigra*, à frumento nigriore quod hîc enascitur.

NVM. 2. *Qualitas.*

VALLIBVS fertilissimis est distincta, ac valde riguis. Vinum hinc quoque generosum ad Polonos defertur. Neque desunt fodiinæ auri, atque argenti, sed negliguntur. Turcæ hinc quoque equos fortissimos, & laboriosissimos educunt.

NVM. 3. *Mores.*

PAYLO urbaniore sunt Valachis. Fortissimi equites, & egre-

giam operam Turcæ nauant in bellis. Hic multi nobiles, quos Vaiuoda habet ad manum. Seditiosi habentur, & in Principem parum fideles. Eodem modo cum Valachis vxores tractant, quibuscum & ritu Græco, & idiomate concinunt. In eo autem multæ voces Italicæ arguunt eos origine Italos esse, vt diximus in Valachia nomine.

NVM. 4. *Politia.*

VAIVODA se Regem Moldauia nominat, & olim pendebat ab Hungaro, à quo cõfirmabatur selectus à Moldauis. Nunc ad Turcas transit cui tributum nomine pensitat ferè 200. librarum Francicarum millia, cum 500. equis pulcherrimis, & 300. falconibus selectis. Olim Princeps armabat 60. equitum millia, hodie vix 20. urgente tamen bello 50. millia posset educere. Filius siue legitimus, siue nothus succedit patri, & primùm natus signatur candente ferro. Bassa Moncastrensis, vulgò *de Bialogrod*, prouidet ne prouinciæ illæ rebellent, quasi Cosakorum metu, ideóque sibi conficit 100. Sultanorum millia, verbo in regionis tutelam, reuerã in Turcicam rapinam.

§. 10. *De Bessarabia.*

NVM. 1. *Nomen.*

VNDÈ extiterit vox illa incertum: nisi à Bessis, qui huc immigrarunt. Certè eò peruasisse Arabas suspicamur ex Bulgarorum factò cuius meminimus in Moribus Bulgarorù. Eam quoque apud Calcondylam dici Istriam non improbabiler aliqui suspicantur.

NVM. 2. *Qualitas.*

REGIO hæc fertilissima, in quâ nihil deesset, etiam ad vitæ delicias, nisi in eâ Tartari degerent, hanc Cosaki infestarent, hostes & hospites ex æquo metuendi.

NVM. 3. *Mores.*

HIC Tartari viuunt more suo, hoc est lacte, & carne equorum suorum. Aspectu terribiles sunt, & iis sæpe vitur Turca non tam ad pugnandum, quàm ad inferendam in hosticum vastitatem; & ad augendum terrorem, hos vocat Præcopitas.